



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Cursus Theologico-Moralis

Ad usum Tyronum elucubratus, Et in Quotidianis Prælectionibus
Quoad ea, quæ Moralis Theologia disputat De Sacramentis, & Censuris

Viva, Domenico

Patavii, 1723

Art. I. Quid, & Quotuplex sit Censura?

urn:nbn:de:hbz:466:1-40650

QUÆSTIO PRIMA.

De Censuris in Communi.

Quærendum primo, Quid, & Quotuplex sit Censura? Secundo, Quam possit Censuras ferre? Tertio, Erga Quos? Quarto, quam ob Causam? Quinto, quam formam ferantur? Sexto, Quomodo quis excusetur ab illis incurrendis? Septimo, de earundem effectibus. In sequenti porro questione inquiremus, quonam pacto tollantur?

ARTICULUS I.

Quid, & Quotuplex sit Censura?

- I. Censura est Pœna medicinalis privans bonis quibusdam spiritualibus.
- II. Quatenus est pœna, infligitur etiam sine spe emendationis: & quatenus est medicina, emendato reo debet tolli.
- III. Triplex datur dumtaxat Censurarum species, Excommunicatio, Suspendio, & Interdictum.
- IV. Irregularitas ex delicto non est inter Censuras recensenda; Nôc Cessatio a divinis, Depositio, aut Degradatio.
- V. Censura alia est ab Homine lata, alia a Jure. Num possit pro peccatis futuris ab Homine censura ferri? Et num ea perseveret post mortem ferentis?
- VI. Quanam sit formula Censura lata sententia, quam ferenda? Et quid in dubio, num sit lata, an ferenda sententia.

I. Quæritur primo; Quid veniat nomine Censuræ?

Respondeo, apud antiquos Romanos Censuram significasse tum Censoris dignitatem, cujus erat mores populi corrigere, tum ipsam corre-

tionem, seu pœnam, ac multam, quam delinquentibus imponebant: Unde factum est, ut pœnæ etiam ab Ecclesia ad correctionem morum institutæ dicantur Censuræ.

Definitur autem communiter isthæc Censura, Pœna medicinalis privans bonis quibusdam spiritualibus; ut videre est apud Pal., Hurt., Con., & alios. Dicitur Pœna; quia supponit culpam, quam puniat. Dicitur Medicinalis; quia per ipsam non solum punitio, sed etiam correctio Rei, seu emendatio intenditur. Dicitur demum Privans bonis quibusdam spiritualibus; quia ut sit pœna Ecclesiastica, iis bonis privare debet, quæ sunt propria fidelium, videlicet spiritualibus, puta, Sacramentis, Suffragiis, Ingressu Ecclesiæ, &c. Quod si aliquando etiam bono aliquo temporali Censura privet, (ut excommunicatio, quæ privat communionem, & consortio fidelium) eo privat, quatenus aliquantulum etiam spirituali; siquidem cum fidelibus conversari, bonum quoddam est spirituale; quo excommunicatus privatur, tum ne aliis noceat, tum ut ipse resipiscat.

II. Ex hoc autem quod Censura non solum sit medicina, sed etiam pœna, sequitur, quod possit infligi, etiamsi non speretur emendatio; dummodo conferat ad bonum publicum; absterrentur enim communiter homines

nes per talem pœnam a delictis: Ex hoc vero quod Censura non solum sit pœna, sed etiam medicina, sequitur pariter, quod agrotis curato debeat auferri; ut Doctores communiter docent; & ideo Censura dici solet Vinculum; cuius est ita ligare, ut possit solvi. Quare pœna, quæ sine spe remissionis imponitur, dici non potest Censura.

III. Quæritur secundo; Quotuplex sit Censura?

Respondeo, primo dividi Censuram in tres præcipuas species, Excommunicationem, Suspensionem, & Interdictum. Ratio est, quia in Cap. *Quærenti, de Verborum significatione* interrogatus Innoc. III., Quid per Censuram Ecclesiasticam intelligatur? Respondemus, ait, quod non solum Interdicti, sed etiam suspensionis, & Excommunicationis sententia valeat intelligi. Quæ responsio Pontificis, cum sit doctrinalis, debet omnes Censurarum species complecti.

IV. Rejicitur hinc primo opinio Soti, Corneii, Victor., Cani, & aliorum Thomistarum recensentium inter Censuras Irregularitatem ex delicto, & Cessationem a divinis. Ratio est, tum quia Innoc. III. illas non numerat inter Censuras; nec ullo alio textu, ratione, aut auctoritate (ut notat Suar. hic num. 3.) habetur, quod inter Censuras recensendæ sint; Tum etiam, quia Irregularitas ex delicto non est pœna medicinalis, quæ post resipiscentiam delinquentis debeat tolli, sed est ex se perpetua; nec tollitur per absolutionem, sicut Censura, sed per dispensationem; & qui eam violat, non incurrit aliam irregularitatem, sicut violans Censuram: Item Cessatio a divinis, per quam prohibetur, ne in aliquo loco divina celebrentur, non est proprie Interdictum locale, nec Censura, sed quoddam præceptum simile Interdi-

cto locali, quod imponitur ad repellendas injurias Ecclesiæ factas, ut habetur in *Clement. 1. de Sententia Excommunicationis*. Hoc autem ex eo constat, quia violantes Cessationem a divinis non incurruunt irregularitatem, ut ostendunt Navar., & Sylvest. apud Avil. part. 1. dub. 4.: Contra vero violantes Censuram; ergo cessatio a divinis non est proprie Censura; Immo nec proprie pœna, ut suo loco dicemus.

Rejicitur secundo opinio Recentiorum addentium numero Censurarum Depositionem, & Degradationem. Etenim istæ pariter sunt pœnæ perpetuæ, nec infliguntur in medicinam, ut reus a contumacia desistat, sed præcise ut puniatur.

Ex quibus deducitur, quod virtute Jubilæi non possit tolli irregularitas ex delicto, ut ostendemus quæst. ultima de Irregular. contra plures Thomistas: Quamvis enim tunc tolli possint omnes Censuræ, & pœnæ Ecclesiasticæ; At irregularitas ex delicto non est Censura; Et quamvis sit pœna Ecclesiastica, nihilominus, ut notat Navar. cap. 27. num. 250., virtute Jubilæi illæ solum pœnæ Ecclesiasticæ tolli possunt, quæ impediunt usum, seu susceptionem Sacramentorum; (ut est suspensio imposita a Confessario, ne per tantum tempus quis celebret, aut communicet, necnon pœna, qua aliqui Canones mandant, ne per aliquod tempus aliquis ad communionem admittatur.) Et ratio est, quia in bulla Jubilæi expresse habentur ea verba: *Per presentes autem si per aliqua irregularitate publica, vel osculta non intendimus dispensare.*

V. Dividitur secundo Censura in Latam a Jure, seu per legem, aut statutum, & Latam ab Homine, seu per sententiam hominis. Prima ex natura sua est perpetua, adeoque durat quoadusque contraria lege, aut

consuetudine revocetur; & semper imponitur pro peccatis futuris, ut scilicet impediatur; puta quando dicitur, Qui percusserit Clericum, sit Excommunicatus. Secunda durat, quando durat iurisdicatio illam ferentis, & plerumque imponitur pro peccatis praeiatis, ut scilicet puniantur, & delinquens corrigatur: Verbi gratia, si excommunicentur qui furati sunt, nisi intra mensem satisfaciant. Quamvis etiam aliquando feratur Censura ab homine per sententiam generalem pro peccatis futuris, ut mox dicemus.

Subdividitur itaque Censura lata ab homine in Specialem, & Generalem. Censura specialis, seu per sententiam specialem fertur in personas determinatas ob aliquod peccatum particulare praeiatis: Verbi gratia, si Episcopus excommunicet Titium, quia contumaciter diu abest a beneficio; Vel si excommunicet omnes, qui incenderunt agrum alienum, nisi intra mensem satisfaciant. Censura vero generalis dicitur illa, quae fertur generaliter pro aliquo delicto futuro; verbi gratia, si Episcopus excommunicet omnes, qui furabuntur in templo.

Dubium tamen est apud Doctores; An huiusmodi Censura pro peccatis futuris possit ab homine ferri? Etenim in cap. Romana, de Sententia Excommunicationis in 6. haec habentur: *Caveant Episcopi, ne sententias excommunicationis sive generaliter, sive specialiter in aliquos pro culpis futuris proferre praesumant.*

Sed Con. num. 15. ex Suar. respondet primo, hoc jus non continere praecipuum, sed admonitionem. Secundo in eodem iure subditur, hoc non esse faciendum, nisi rationabilis causa subsit, quae in sententia exprimitur: Unde sequitur, ex rationabili causa id fieri posse, dummodo praedicta causa exprimitur in ipsa sententia.

Colliges primo ex dictis, quod si Episcopus ferat excommunicationem contra eos, qui furantur in templo, & deinde aut moriatur, aut desinat esse eius loci Episcopus, aut aliter iurisdictionem amittat, in tali casu qui furati sunt ante mortem, vel discessum Episcopi, sunt excommunicati; secus vero qui post Episcopi mortem etiam furantur. Si vero Episcopus excommunicet eos, qui furati sunt, nisi intra mensem restituam, & antequam mensis labatur, ipse moriatur, nullus ex non restituentibus est excommunicatus; quia ante terminum praefixum excommunicationi incurrendae desit iurisdicatio Episcopi, atque adeo excommunicatio. Ita communiter Doctores apud Con. disp. 13. dub. 2.

Colliges secundo, Excommunicatum ab homine etiam post mortem excommunicantis remanere excommunicatum. Ratio est, quia iure communi statutum est, quod nemo liberetur a Censura, quam semel incurrit, nisi per absolutionem. Quod si excommunicatio ab homine sit incurta ex defectu alicujus requisiti, & dum expectatur tale requisitum, moriatur, qui tulit excommunicationem, Excommunicatio in tali casu non incurritur, quia tunc desit potestas illam ferentis.

Colliges tertio, censuram, quae fertur per legem, aut statutum, semper incurri, donec lex revocetur; quia nunquam desinit potestas legislatoris. Etenim qui condit legem, condit illam in persona ejus, a quo potestatem condendi legem accepit, qui est Deus, vel communitas, qui non moriuntur.

VI. Dividitur demum Censura in Latam, & Ferendam sententiam. Dicitur censura lata, Sententiam, quae per ipsam legem, aut Sententiam infligitur; adeoque sine nova sententia incur.

curritur: Unde solum ab Episcopo declaratur censuratus, qui talem censuram incurrit. Censura vero Sententia ferenda est illa, quam jus, aut iudex minatur se inflicturum, aut jubet infligi; unde, ut incurratur, requiritur sententia Judicis, & non mera declaratio.

Censura est lata sententia, quoties jus, aut iudex his, aut similibus verbis utuntur, videlicet, Quicumque hoc fecerit, aut ipso jure, aut ipso facto, aut eo ipso excommunicatus, suspensus, &c.; Vel si dicatur, Eum, qui hoc fecerit, excommunicamus: Et quoties verba diriguntur ad reum, non ad iudicem, qui debeat ferre sententiam; ut si dicatur, Quisquis hoc fecerit, sit excommunicatus, excommunicatum se esse agnoscat, excommunicatus maneat, excommunicationem incurrat. Et idem dicendum ex Con. loc. cit. num. 20. (quamvis aliqui de hoc dubitent) si dicatur, Excommunicationem incurrat, aut noverit, se excommunicationem incursum, aut erit excommunicatus, quia hujusmodi verba non significant sententiam ferendam a Iudice post commissum delictum, sed ipsum jus habere vim sententia censuram infligentis hoc ipso, quod delictum committatur.

Contra vero Censura est sententia ferenda, quoties aliquod prohibetur sub poena censuræ, & quoties his, aut similibus verbis Iudex, aut jus utitur; videlicet, Qui hoc fecerit, excommunicabitur, vel jubemus, aut volumus eum excommunicari; vel statim excommunicetur: Et universim quoties diriguntur verba ad iudicem, censura dicitur ferenda sententia, quia exigitur nova actio, seu sententia iudicis, ut incurratur.

Dubium tamen est; Utrum excommunicationem lata sententia contineat, an vero ferenda hæc formula,

Qui hoc fecerit, excommunicetur, vel excommunicationem incurrat, vel sub poena excommunicationis? Et hæc alia, sub poena excommunicationis statim, seu confestim, vel ex tunc incurrendæ?

Respondeo, primam formulam continere probabiliter excommunicationem sententia ferendæ; quia per hæc verba videtur requiri sententia Judicis; Sicuti poena Interdicti, quæ in cap. *Omnis utriusque sexus* infligitur transgressoribus præcepti de annua Confessione, per illa verba: *Alioquin arceantur ab ingressu Ecclesie, & priventur sepultura Ecclesiastica*, est poena sententia ferendæ, ex Suario disp. 35. de poenit. sect. 8.; quia videtur requirere sententiam Judicis: Avila tamen 5. p. cap. 2. cum Sylvestro, & aliis putat censuram incurri ipso facto, quoties imponitur absolute per verbum Imperativi modi, dicendo v. g. Qui hoc fecerit excommunicetur. Quod vero attinet ad secundam illam formulam, sub poena excommunicationis statim, vel ex tunc incurrendæ, dicendum significare censuram lata sententia, ut communiter Doctores docent. Præterea ista formula, Sub interminatione excommunicationis, seu anathematis significat excommunicationem infligendam, non inflictam; quicquid nonnulli repugnent apud Con. dub. 2. Hæc alia vero formula, Qui hoc fecerit, noverit se excommunicationem incursum, seu erit excommunicatus, videtur potius lata, quam ferendæ sententia, ex Con. contra Felin. Et ratio est, quia in fine constitutionum Apostolicarum solet apponi hæc formula: Si quis autem attentare hoc præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, & Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursum; Quæ indignatio statim incurritur per transgressionem, ut docent Doctores communiter: Si

ve-

vero dicatur, Noverit se excommunicandum, seu erit excommunicandus, Censura est sententiae ferendae.

Verum quoties de aliqua formula dubitatur, sitne latae, an ferendae sententiae? Censura est sententiae ferendae, ut docent communiter apud Pal. de censuris punct. 2. ex regula 45. juris in 6. *In poenis benignior est interpretatio facienda; & Odia sunt restringenda.*

ARTICULUS II.

Quinam possit ferre Censuras

- I. *Potestas instituendi Censuras est in solo Pontifice: Potestas vero illas ferendi est etiam in aliis. Et quidem Ordinaria in iis, qui ratione sui muneris jurisdictionem Ecclesiasticam habent in foro externo; Delegatam vero habent illi, quibus ab habente Ordinariam ea committitur.*
- II. *Recensentur ii, qui Ordinariam habent potestatem ferendi Censuras.*
- III. *Necnon ii, quibus ea potest delegari.*
- IV. *Num possit ea delegari faminis?*
- V. *Quinam delegatus possit potestatem hanc subdelegare?*
- VI. *Jurisdictio hac cum sit contentiosa, non gratuita, nequit extra propriam Dioecesim exerceri.*
- VII. *Quid requiratur ad valide ferendas Censuras?*
- VIII. *Valida est Censura metu extorta, non tamen hujusmodi absolutio a Censura.*
- IX. *Num in causa propria Censura ferri possit?*

DE fide est contra Heterodoxos, ut late ostendit Suar. t. 5. in 3. p. disp. 1., & 2., a Christo Domino concessam esse Ecclesiae facultatem

instituendi, ac ferendi censuras ad rectam fidelium gubernationem; Unde dixit Chrysofostomus hom. 4. ad Hebr. *Nemo contemnat vincula Ecclesiastica; non enim homo est, qui ligat, sed Christus, qui nobis hanc potestatem dedit.*

Verum potestas instituendi Censuras est in solo Pontifice; tum quia censurae important ritus quosdam communes toti Ecclesiae, atque adeo solus supremus Pastor potest illos decernere; tum etiam quia, ut advertit Scotus in 4. dist. 19. quaest. 1., quando Episcopus excommunicat subditum suum, eo ipso obligat suo modo omnes fideles ad non communicandum cum ipso; hoc autem accidere non posset, nisi censuram ferret in virtute institutionis factae a Pontifice; ergo solus Pontifex potest censuras instituere, aut Concilium generale a Pontifice congregatum, & approbatum: Quia vero potestas instituendi censuras est potestas jurisdictionis, sequitur, ut idem Suar. notat, posse a Pontifice illam aliis delegari, quamvis hoc non sit juxta usum Ecclesiae, nec fieri expediat.

Potestas vero ferendi Censuras alia est Ordinaria, alia Delegata, seu commissa: Habent ordinariam illi omnes, & soli, qui ratione sui muneris habent jurisdictionem Ecclesiasticam in foro externo; cum enim censurae sint poenae Ecclesiasticae, & in foro externo coercitivae, ab illo dumtaxat intelligi possunt, qui in foro externo habet Ecclesiasticam jurisdictionem: Delegatam vero hanc potestatem habent illi, quibus ab habente Ordinariam commissa est, prout etiam dicitur de potestate absolvendi. Ratio, quare solus Pontifex habeat potestatem instituendi censuras, non solus vero ille, sed alii etiam a Pontifice habeant potestatem illas ferendi, est, tum usus Ecclesiae; tum quia non potest solus Pon-